DE RATIONE CONCILIANDI LEGES QUAE SIBI ADVERSARI VIDENTUR...

Friedrich Wilhelm Schütz, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Contraria & pugnantia in jure noſtro occurrere haud infrequens JCtorum querela eſt. Neſcio tamen, annon, re accuratius perpenſa, pleræque, quas efferunt, antinomiæ, apparenter magis, quam vere tales ſint, omnesque propemodum leges primo ſaltim intuitu utplurimum obſtantes ex ipſo verborum contextu indeque reſultante decidendi ratione, optime conciliari queant. Provoco eo nomine ad innumeras fere leges, in *illuſtr.* BERGERI *Reſolut. Lauterbach.* alibique paſſim obvias, quippe quæ olim e cenſu diſcordantium hujusmodi jurium & perinde a Majoribus noſtris pro irreconciliabilibus habitæ ſunt, quarum tamen hodie vix ac ne vix quidem ſupereſt pugna. Ita ſane boni eſt Interpretis, ex *præſcripto Imperat.* IVSTINIANI, 1) qui nihil diſſonans ex priorum JCtorum ſcriptis inquiri provide juſſit, circa leges inter ſe pugnantes,

 diver-

1) *l. 2. §. 15. C. d. V. J. E.*

Digitized by Google

diverſitatis rationem excutere & ex ipſis LL. viſceribus diſſonantiæ querelam diſſolvere, nec nuda verba, ſed quod CELSVS quondam ad LL. ſcientiam requiſivit, ſub verbis latitantem vim & poteſtatem 2) erudite oſtendere.

Interim tamen non eodem incedunt propoſito, qui *(ut cum Juvenali loquar)* circa *Juris nodos & LL. ænigmata* occupantur: Alii a negatione intellectus ad indiſſolubilitatem legum male inferunt, ex mente CVIACII 3) leges conciliare non meliorem eſſe operam exiſtimantes, quam ſi quis quadrare circulum nitatur; alii ad evitandas antinomias quibuscunque potius diſtinctionibus pugnam dirimere legesque in ſui commodum obſcurare moliuntur, id quod aliquando callidi interdum & luxuriantis ingenii opus eſt. Nec deſunt alii, qui, ſi forte obſcuri quidpiam occurrat in Pandectis, mox TRIBONIANO, ſi quæ de ſuo infarſit veterum JCtorum Reſponſis, dira precantur, ipſum prorſus *Sacratiſſimum Imperatorem* IVSTINIANVM virga plus quam cenſoria notantes.

At enim vero cum illis facio, qui in legibus conciliandis maximum inſumunt laborem, ægre haud ferentes, quod *Tribonianus* vir unus, multorum licet conſilio, *Imperator. Juſtinian.* juſſu adjutus 4), quæ omnes ii tam diverſa ſcripſerunt, uno & altero

2) *l. 17. ff. d. LL.*

3) HILLIG. ad DONELL. *8. comm. cap. 13.*

4) *Recenſentur hi l. 2. §. 9. & l. 3. §. 9. C. d. V. J. E.*

ro anno 5), in eam adducere concordiam non plane potuerit, nullum ut diſcordiæ veſtigium ſupereſſet.

Non equidem vera contraria ad concordiam vocare molior, cum & ipſa vere pugnantia alioquin uſu haud plane deſtituantur; Sed ſaltim, qua ratione leges contrariæ facili negotio conciliari queant, in ſubſequentibus pro virili pauciſſimis tamen & perfunctorie quidem ob temporis penuriam proludere animus eſt.

Ubi quidem, artis conciliandi leges, contrariæ quæ videntur, primum, reor, præceptum eſſe, *ut de utriusque vera lectione conſtet.* Hanc enim non ſolum primariam *Ipſius Juſtiniani* curam fuiſſe 6), abunde pateſcit, verum etiam & nunc quoque omnino neceſſe eſt, ut inquiratur in quemcunque textum, ſi quis forte contrarium objiciat, ſitne ejus quæ circumfertur lectio vera & genuina. Darem ejus rei exempla, niſi ea moleſtia liberarent me magni nominis JCti & Conciliatores, quos inter ANTONIVM AVGVSTINVM 7) & MERCERIVM nominaſſe ſufficit. Hanc certe ob cauſam AELIVS GALLVS ſcripſit de verborum

5) *l. 2. §. 12. C. d. V. J. E. cujusmodi feſtinatio nimia* VIGLIO, HOTMANNO *aliisque bilem movit.*

6) *vid. Epiſt. ad Tribon. l. 1. §. 13. C. d. V. J. E. j. Epiſt. ad Anteceſſ. Conſt. Omnem §. 8.*

7) *Lib. de Emendationibus & Opinion.*

quæ ad jus pertinent ſignificatione libros XII. 8) quemadmodum & de Jure-Conſultis QVINCTILIANVS ait: 9) Eorum ſummum circa verborum proprietatem laborem fuiſſe, ne dicam de LABEONE ANTISTIO, quippe qui præter Jurisprudentiam, teſte GELLIO 10) & in Grammaticam ſeſe atque Dialecticam penetraverat, Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat, eaque præcipue ſcientia, ad enodandos plerosque juris laqueos, utebatur. Tum vero, poſteaquam de lectione cujusque *legis* conſtabit, *ad vim ejus ac poteſtatem progrediendum* eſſe, manifeſtum eſt, ut ſi quod ſit vocabulum ambiguum in ſuas ſignificationes diffindatur. Cognitis ſane, ut par eſt, homonymis, congruis ſuis locis adaptatis, non raro diverſa potius eſſe, quam adverſa, quæ opponuntur, facile adparet. Qua quidem ratione ut antinomiæ diſſolvantur, ex eo Auctore verborum poteſtas peti poteſt ac debet,

Quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi. 11)

Neque vero ſola verborum evolutio conciliandis legibus ſufficit; ſed & *inſuper*, *in quonam proprie ſtatus controverſiæ conſiſtat*, *non mediocris eſſe indaginis* crediderim.

---

8) *vid.* BERTRANDVS *in ejus vita & inſcript. l. 157. ff. d. V. S.*

9) *Libr. 5. Inſt. orat. cap. ult.*

10) *Noct. Att. 13. cap. 10.*

11) HORATIVS *d. Arte Poëtica v. 72.*

derim. Quodſi enim teſte CICERONE, 12) ex contrariis legibus controverſia naſcatur, cum inter ſe duæ videntur aut plures leges diſcrepare, conſiderandum eſt, utra lex de genere omni, utra de parte quadam; utrum communiter in omnes, utrum in aliquam certam rem ſcripta videatur. Et recte quidem. Nam in toto jure generi per ſpeciem derogatur. 13) Igitur vel maxima Interpretis cura ſit, ut regulam & limitationem probe conferat ad leges illas, quibus ſibi quidpiam paulo generalius definitum videtur. Quid dicam de cognitione diverſitatis ſubjectorum & objectorum, utpote quæ ex inſcriptione textus, ſerie materiarum, connexione antecedentium, concomitantium & ſubſequentium, nec non aliarum, quæ ex iisdem libris petitæ ſunt, legum collatione ſcite & appoſite eſt deſumenda. Quibus omnibus exantlatis, *denique in legum pugnantium auctores inquirere* illis oppido ex re erit, qui quæſtionem illam: ubinam veteres auctores diverſæ ſectæ addicti de eadem ſpecie reſponderint, ſusque deque habere verentur, dummodo hic rurſus inter ea, quæ fugitive & incidenter & quæ data opera & principaliter aliquo loco tractata ſunt, caute diſtinguatur. Latius quidem circa hæc omnia excurrere poſſem, rationem inſimul utendi juribus vere contrariis traditurus. Sed manum de tabula. Delibare ſatis eſt.

Quin ad id potius me converto, quod hujus diei celebritas a me exigit. Nimirum TE VIR *Conſultiſſime*, ut ſemper affectu, jam tantum literis piiſſimisque vo-

12) *Lib. 2. De inventione.*

13) *L. in toto 123. ff. d. reg. jur.*

Digitized by Google

votis perſequi mihi integrum putavi. Virtus enim ad *Tui* amorem admirationemque omnes rapit, quippe qui omnes & ſinguli præclaram *Tuam* ſcientiam, humanitatem & candorem perubique prædicantes, nihil quod labem *Tuæ* dexteritati illibatæ adſpergat, deprehendi uno fateri ore coguntur. Hodie præſertim, quantum in jure noſtro doctrina valeas, publice omnibus comprobaſti, dignumque *Te* omnino, acclamantibus omnibus, exhibuiſti, cui ſummi in utroque jure honores conferantur. Tantum vero abeſt, ut ſolus inter tot plauſus taceam, ut potius tot nominibus obſtrictus, publico quodam monumento, qui jam diu in corde latuit, declarem affectum. Unam ergo pietatem, rejectis aliis cauſis, animum meum ad ſcribendum appuliſſe, qui totus credas etiam atque etiam rogo. Præter ſinceram mentem neſciunt exiguæ paginæ aliud ornamentum. Gratulor ergo *illuſtri & magnifico Tuo Parenti*, quod talem te genuit, qualem patriæ honori futurum eſſe, omnes, quos Lipſia noſtra tenet, haud vane exiſtimant. Gratulor & *Tibi*, quod hodierna luce bonorum omnium applauſu immortale decus *Nomini Tuo* conciliaſti. Faxit DEVS, ut porro ſplendida *Tua* virtute, prudentia civili, ſcientiæ nec non induſtriæ rariſſimo exemplo, totius Reipublicæ expectationi, divini Numinis aura & ope ſatisfacias, *Tibi* ipſi & *illuſtriſſimæ domui Tuæ* felicitatis & honoris æterna monumenta paraturus. Quod reliquum eſt, me ſemper Tuæ benevolentiæ atque candori deditiſſima mente etiam atque etiam commendo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google